

Novo argumento, quantum in hanc diem laborent *Isidoriana*, quantumque sospitato opus habeant.

CCCCVII.

U. 104 Codex chartaceus lat. Sec. XV.

Folior. 101. 4. probe scriptus, rubricis distinctus, et quondam *κτῆμα* Popularis mei; legitur enim fol. 1. p. 2. *Iste libellus est magistri Johannis Vetter de Scharding, et comparavit eum Patavie Anno domini M^o CCCC^o XXXIV^o.* praemisso Indice, qui primum illo anno additus fuit, continet S. *Isidori Ep. Hispal. Libros III. Sententiarum*, alias etiam *de summo Bono* inscriptos. L. I. incipit: *Summum bonum deus est* &c. ut Edit. *Paris. 1601. p. 617. f.* Ad ejus calcem in Codice reperias fol. 20. p. 2. *Caput de penitentibus*, quod huc non pertinet, sed est *Cap. XVI. Libri II. de Eccl. Offic.* hoc initio: *Penitentibus exemplum Job primus exhibuit* &c. ut edit. *cit. p. 604.* in qua per decursum *Capita* quandoque etiam aliter divisa sunt, aut se excipiunt, quam in Codice, qui ceterum integer est, et probam saepe lectionem subpeditat. Sic L. I. c. 1. malim *Nude ac substantialiter* pro impresso *Bene ac substantialiter*, item aliud putari dei naturam omisso debemus pro aliud deum putare, item L. II. c. 7. nobis fol. 24. *Inchoantibus premium promittitur. sed perseuerantibus datur, pro Non inchoantibus premium promittitur, sed perseuerantibus* &c.

II. fol. 68. p. 2. succedit Sermo Anonymi brevis, qui incipit: *Totum quidem dilectissimi paschale sacramentum evangelica nobis narratione presentatur et ita per aurem carnis penetrabilis* (penetrabilis?) *est mentis auditus* &c. Autorem ignorare me fateor, qui tamen non videtur e recentioribus.

III. fol. 69. p. 2. Incipit Bernardi de consideratione ad eugenium papam. Opus integrum *Libris V.* definitum, ut extat edit. *Maur. T. II. col. 407.* hoc initio: *Subit animum dictare aliquid* &c. et fine: *sed non finis querendi.* Additur: *Per J. de B.* Nomen verifimiliter Librarii.

CCCCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 927 XII. Folior. nunc 165. f. maj. per duas columnas bene exaratus, minio distinctus, olimque Collegii S. J. *Viennae* complectitur *Isidori Hispal. Episcopi XX. Originum Libros* hac ratione. Praeit Summarium generale, ad quod ita introducimur: A. ✠. Ω. *Ut Valeas Quae Requiris In hoc corpore inuenire. haec tibi lector pagina monstrat. De quibus rebus in libris singulis conditor huius codicis disputavit.* Summarium istud, quod in Editione *Paris. Jacobi du Breul, 1601. f.* non habetur, excipiunt *Epistolae VI.* inter *Isidorum et Braulionem Ep. Caesaraugustanum*, quarum I. inscribitur: *Domino Meo Et Dei Servo Braulioni Episcopo Ysidorus*, et incipit: *Omni desiderio desideravi nunc uidere faciem.*